

B 387.

7.

Mutianus¹⁾ an Vadian.

(Gotha.) 1511. August 5.

Bestätigung des Empfanges eines Briefes von Vadian, der drei Monate von Wien bis zu ihm gebraucht hat. Klage über die Nachlässigkeit der Überbringer. Versicherung seiner Geneigtheit, mit Vadian in Freundschaft zu treten.

S. P. D. III Nonas Sextiles nocte propemodum intempesta redduntur mihi literæ^{a)}, testes ingenii, doctrinæ, sed et humanitatis tuæ. Vah! dices, quæ, malum, ratio tarditatis est, ut diu nimis, utpote trimestri fere spatio, errantes tam sero peregrinari desierint. Ego quia evidens moræ argumentum non deprehendi, tabellarios ipsos arcesso negligentia. Solent enim isti cursores parum fidi, etiam^{b)} si per deum iurati sint, adde vel mercede obærat, paulo serius stare promissis. At cur magnopere indigner? cum errores longiturnos epistola sua sibi hilaritate compenset. Quid mihi iucundius his publicis meorum feriis, quando demessas segetes horreis invehunt, evenire potuit, quam quod divina providentia me accessu, facundia politioris et vere lepidi amici beaverit. En tibi manum, felix concordia auspiciam. Si bonas artes, si probos, si Aperbacchum amo, si denique, ut multa breviter dicam, Mutianus sum, te libenter in album amicorum recipio, captus illecebris et suavitate tuarum literarum, captus, quo præditus es, instituto vel potius iudicio. Nam contempta rudi barbarorum inscitia^{c)} faves ordini Latino, neque contentus scire Latine, quamquam id ad splendorem nominis gradum faciat, non immoderato laudandi genere nos alacriores reddis. Essem homo rustici rigoris, si tam sanctas verborum delicias, ab omni aversas derisione, fastidirem. Novit Aperbacchus, comprobatis moribus, acumine et miscellanea disciplina excellens, me semper abhorruisse ab ineptis adulationibus. Ceterum si candidum præconem meritæ laudis non audirem, in eo profecto male audirem.

Quod superest, dabis operam in confirmanda iam inita mecum amicitia, ut crebro et abundanter ad me scribas. Vale. Nonis Sextilibus MDXI.

Mutianus.

Ioachimo Vadiano, postliminii^{d)} iure surgentium literarum adsertori, Misis utriusque Pannoniæ mancipato.

a) Durchwegs „e“ für „æ“. — b) „eciam“. — c) „inscitia“. — d) „postlimin“.

1) *Conradus Mutianus Rufus*, hervorragender deutscher Humanist, geboren in dem hessischen Städtchen Ilmburg 1471 October 15, gestorben in Gotha 1526 März 30, bezog 1486 die Universität Erfurt, erwarb in Bologna den Doctorgrad der Rechte und lebte seit 1503 als Canonicus in Gotha, an den humanistischen Bestrebungen und den theologischen Streitigkeiten in zahlreichen Briefen teilnehmend. Von Mutianus ist nur dieser eine Brief in unserer Sammlung vorhanden. Vgl. Kampschulte, die Universität Erfurt I, p. 75.

1511 Aug. 29 P. Eberbach an Taumstetter v. V' III, 138 N. 4